

HORTVS
DOCT. LAV.
RENTII SCHOLZII
MEDICI ET PHILOSOPHI:

QVEM ILLE COLIT VRA
TISLAVIAE, SITVM INTRA IPSA
CIVITATIS MOENIA,

CELEBRATVS CAR-
MINE,


M. ANDREAE CALA-
GII VRATISL.

VRATISLAVIÆ

In Officina Typographica Georgij Baumannii, I.

ANNO CHRISTI

M. D. XCII.



CLARISS. VIRO, DN. D.
LAVRENTIO SCHOLZIO, MEDICO.

A V T O R.

Nsignes alas vt latius explicet Horti
Fama, Machaonia clare Vir arte, tui.
Non modò quem mirè pinxit dea Flora tot herbis,
Aemula naturæ sed quoq; docta manus.
Illarum vt numerum pariter Ciuisq;, frequensq;
Aduena, cum veris optet habere typis.
Quos nouus, ad viuum pictos, HERBARIVS, aptus
Vfibus humanis, exhibet ille tuus.
Carmen odoriferis distinctum floribus, instar
Indicis hoc certi, mitto per ora virum.
Non artis, sed molis opus tentasse videbor:
Quid? decori neruis incubuisse, iuuat.
Quæ sequeret, non vlla habui vestigia: Eündum
Rupis inaccessæ calle latente fuit.
Et via per salebras quærenda, per inuia saxa:
Donec in excelsi verticis arce steti.
Sic puto perfregit summas ferus Annibal Alpes:
Sic forti Alcidæ monstra subacta, puto.
Eurystheus ratione mihi tu crederis ista:
Nam mandare, tuum, iussa subire, meum est.
Gaudeo, si laudem mereor virtutis: iniquo
Si castigantum saucior ore, fero.
Fortassis meliora darem, mihi si quis amicus
Ocia Mecænas Virgiliana daret.
Sed modò Ius comitatur honor: Vos gaze: Poëtas
Cum grege Grammatico res premit arcta domi.



81052/4

AM validum grauidis messorum induceras
aruis
Agricola, extremusq;, solum rapido igne co-
quebat
Sivius, ex Helicone nouem cum fortè Ca-
mæna

Ibant captatum sub ramis frigora & umbras.
Displicuit sed nota quies: Sub fronde remotæ
Aestiuare iuuat. Legit hæc, legit illa petendum
Ambitiosa locum. Dum voce silentia mandans
Calliope, regina chori: Quin, inquit, in Urbem,
Quæ caput, vber habet quas SLESIA, celsius effert
Omnibus, afferimur? Riguis ea nobilis hortis.
Vnus quos inter longè cultissimus herbis
Arboribusq;, satis dextra solerte, nouoq;
Exemplo, clari arte Viri: LAVRENTIVS ille
SCHOLZIVS est: vsum herbarum cui noster Apollo
Scire, potestateq;, dedit. Fremuere Sorores
Assensu, memores illa se sapè sub umbra
Cantando absumsisse diem: Simul æra veetæ
Per vacuum, loca fortè sibi dilecta tenebant:
Stat medio, placidæ circum perflatilis aura,
Pergula: Ibi Regina prior discumbere iussis
Occurrens: Quando, inquit, eo hic considerare nobis
Fine placet, tenues aliquid cantemus ad auras,
Ignipedes inclinet equos dum carminis autor,
Eia agite, ætutumq;, noua contendite lite,
Quod docuisse deas, homines quod discere profit.
Tum, Benè habet (rupto sermone) Thalia profatur:
Res erit haud aliena loco, memorare, quot herbas,

A 2

Quot

Quot flores, frutices, & germina, lignaq; pulcer
Hortus alat. Faxo, genitrix mox excipit Orpheus,
Sumite materiam, vestris nunc lusibus aptam:
Vestrum octo menses octo (quia quattuor horrent
Effæti stringente gelu) deducite fando,
Plantarum quid quisq; ferat. Rerum area vobis
Panditur ampla satis, nec cui decursa priorum,
Fonte Caballino licet, aut Aganippide labra
Vtraq; proluerit. Tu Clio ordire, Sorores
Ordine quo cuncta sedisti, deinde sequuntor.

Illa parùm cunctata, oculos & fixa modestos,
Istud, ait, nobis melius vel sola Thalia,
Hortorum studiosa, canat. Tamen obsequar, et si
Mensibus illius falcem immisisse videbor.
Excuser (rogo) iussa loqui. Iam Vere futuro
Frigida laxabatur hyems, ac flore recenti
Parturiebat ager, cum bruma claustra, calentemq;
Indignata focum, & Zephyros spirare tepentes
Auditura, nouosq; mihi decerpere flores,
Si quos fortè tulisset humus rorantibus astris,
Nectenda (innuptis qua cura est prima) corona,
Percita progrediebar agris. En Fama fugaci
Mobilitate vicens, plumasq; exuta, molestum
Qua frigus pepulisse solent, occurrit, & ecquo
Tendis? ait: caussamq; via vix docta, moratur
Pluribus: Ipete nota tibi loca, flumine leni
Qua pater, Arctoum pulsans latus, Odera lambit.
Hic Musis, tu Musa mihi es, ni fallor, opacam
Aequa dedit fortuna domum, dedit omnibus harum
Et simul ingenuæ virtutis amantibus, omnes

Delicias:

Delicias: hic iura vigent: hic thura cremantur
Sacra Deo, danturq; preces & debita vota:
Hic leges: hic ordo decens: hic paxq; fidesq;
Hic metus: hic trutina dispensans cuncta Senatus:
Hortorum hic series Urbem extra grandis, & intra.
Mœnibus ante alios septis inclusus, ad adem
Christophori, si fortè oculos tibi pascere cordi,
Si corpus, si tristem animum laxare, patebit.
Sic ait, & populis eadem dictura, recessit.

Ignorare locum simulans ego, corpore pennis
Protinus assumptis faciles elapsa per auras,
Huc abij, lentoq; gradu spaciata per hortos,
Decrescentis adhuc bruma asperitate rigentes,
Ac mensis tum MARTIS erat de nomine dictus,
Hoc reperi florum: Pseudonarcissus adusto
Luteus astat folio dumtaxat, eumq;
Haud procul Elleborus nothus ultra, Hyacinthus & inde
Stellatus; bulbosa etiam Fumaria longè;
Leucoiumq; duplex. Quis texeret inde corollam?
Non dolui, reditura tamen, sub nubila fugi.

Excipit Euterpe: Plures ego mense notavi
APRILI, redeunte suis iam gramine campis,
Arboribusq; coma: cum me par ardor haberet
Huc quoq; progressam. Quadruplex Hyacinthus, ab orto
Dicti Sole duo: hic candentis floris, at ille
Ceruleus: duo Botroides, forma atq; colore
Illorum similes, specie mœrente virebant.
Indolui visis, pueri memor illius, olim
Qui tristi succo splendescens pinguis oliua,
Ac lati ludicra parans certamina disci,

A 3

Fortius

1.
Martius.

2.
Aprilis.

Fortius intusso inflexit caput orbe grauatum :
 Extingitq; cruor, signatis ilicet herbis
 Reddidit hunc florem, Tyrio qui pulcrior ostro.
 Hoc meditati, alia ex alia mihi causa doloris,
 Narcissus sese ante oculos Hispanicus offert,
 Quondam etiam puer egregius, sed imagine fontis
 Fallaci, steriliq; sui consumptus amore :
 Nunc decus, & primi germen lacrymabile Veris,
 Hunc circa Tulipæ species sex, lutea, rubra,
 Purpurea, incarnata, argentea, mixta colore :
 Aurea caruleo simul Epatica : acris & Vrsi
 Auricula : & folio Petasites cernua lato,
 Ad petasi morem : herba Croci quoq; verna Minoris :
 Atq; Phalangites, à bulbo dicta salaci :
 Iris humi nascens : alba hæc, ea lutea florem :
 Imperijq; Corona notis insignis ; acuta
 Et Rhodia radix, Italis notissima terris,
 Rara auis his ipsis : & Pulmonaria longis
 Buglossi Maculosa comis : Cochlearia demum
 Miribus halabat Zephyris extrema colorum.

3.
Maius.

M A I V S id laxauit opes, contrà orsa, Thalia
 Inquit : humum quando, me sollicitante, vocatus
 E Sicula conualle, suo quam flamine semper
 Facundat, sua regna, pater verni inclytus anni,
 Rore maritabat Zephyrus : Quacung; sereno
 Ingressus, quacung; pluens & Nectaris imbres,
 Ocyus exilière solo prægnante tot, vsquam
 Quot rerum modo mater habet natura colores.
 Flore nouo latet omnis humus : Ranunculus, alter
 Luteus, exeruit plenis se floribus, alter

Purpu-

Purpureis : Gerani bulbosi germen, adunco
 Anguibus inuisa volucris simile omnia rostro,
 Sponte sua venit : Numero crescentia magno
 Lilia Germanis conuallibus optima, cordi
 Et cerebro iucundus odor, rubuère colore
 Assyrio : Petri clauis plenumq; rotundo
 Caule super, florem produxit Primula Veris.
 In fruticem cubito maiorem molle Triphyllon,
 Et toto orbe ferè non nota Dorycnion herba,
 Concolor in cælum surgenti nuper oliua,
 Ac somnos mortemq; ciens, erupit. Ab Afris
 Ista Lilac Turcum delatum in regna, cacumen
 Sustulit, & dictum cognomine Gramen eodem.
 Hinc Aquileia, Aquilina alijs, hæc cerula, at illa
 Murice picta rubro, pleno amba, & tertia flore
 Lacteolo : hinc Sefeli Acthiopum : Polygonaton illinc
 Montosum, lauri folijs, radicibus albis,
 E facie tollens maculas : Atractylis illinc,
 Lutea spina : Conyza frutex inde, apta necandis
 Pulicibus, similis folio canentis oliua :
 Inde Been, seu Ben, falso Hermodactylus, ostro
 Prodigiæ rubens : Alibi flos regius, omen
 Et nomen nactus de Paone, siue magistro
 Artis Apollinea, quo saucius Herculis armis
 Rex Erebi valuit ; Macedum seu gente, frequentem
 Cernere ubi est : Alibi forma multiplicis Iris,
 A Zona imbrifera, dilute carula prima,
 Candidulo inuolucro, flaua altera, tertia Pannon,
 Quarta patens folijs, & quinta coloribus impar,
 Veris odorifero spirantis honore, nitebant.

Mille

*Mille locis alia : Maior Bistorta, colubri
 In morem contorta sua radice, Bohemo
 Praecipue natiua solo: Per olentia passim
 Arua Periclymenon nascens, & sepibus haerens
 Flore faba, folio niueo, baccaq; tenacis
 Planè hederæ similis: Folijs præpinguibus, aurî
 Flore nitens, acris gustu, sed suavis odore
 Perfoliata, mihi liceat dixisse Foratam:
 Asparagus: Myrrhis, folio qua Vera cicutam
 Exhibet hirsuto: Blattaria: Smirnia Creta:
 Martagon, id maius, siue Aurea Lilia: nota
 Nomine Pimpinella Italo, Tragiumue: Rotunda
 Oxalis, à succo & tristi quam vulgus aceto,
 Dicit: Aristolochia situ Longa: atq; Taliotrum:
 Et Matronales Viola, ferrugine picta:
 Et syluestre Meum: & Clusi Linaria Pannon,
 Vincebant, quos Aetna parit, quos fertilis Hybla,
 Alcinoi quos sylua ferax, quos mitis Hymertus,
 Quos Pastum, quos campus Arabs, quos Media diues,
 Quos Dryadum Hesperidumq; nemus, quos India felix,
 Et demum quos thure grauis Panchaia, flores,
 Hand omnes sermone mihi, numeroûe notandos:
 Magnam alijs post me partem tacitura, relinquo.*

*Si perrexisses, Soror ô dulcissima, ferri
 Ordine, Simplicibus numeros & nomina dando,
 Melpomene subrisit, Ego obstupefacta, probassem
 Dicta, measq; tuis donassem ambagibus aures:
 Sed vocor, ac melius belli expositura tumultus,
 Præliaq; & cades, populosq; in sanguine nantes,
 Ordior inceptam vobis pertexere telam.*

*At metuo, ne forè rudem fandi, amula verba
 Destituant, & nota minus mihi copia rerum,
 Innoluat: Veniam, laudemq; coacta merebor.
 Mensis agebatur IV NON IVS, hucq; locorum*

4.
Iunius.

*Excierat me fama potens: & gratia florum
 Mira petitorum suavi pascebat odore.
 Ac dum suspensis nunc huc, nunc passibus illuc
 Admirans incedo, recens emerferat agmen.
 Duplex, purpurei floris, Digitalis, & albi:
 Syluestris Bulbus, meritis cognomen habere
 Austriaci: Lychnis quadruplex, rosea, alba, rubensq;
 Et subpurpurea insignem florem: Iris, odore
 Altera incundo bulbosa, sed altera flore
 Lutea, syluestrisq; Been præstantius, albo:
 Parua Colutea virgulta: Antirrhinon (id, quod
 Falsò aliàs Anagallis) habens quasi purpura, florem:
 Sesquipedale Ornithogalon, cognomine clarum
 Pannonici, sed Gallorum numerosius oris:
 Nobile virgultum Indorum, Cariophyllus, alter:
 Albus, eumq; sequens iuxta Plumarius alter
 Rarior his terris qua, Ceruicaria, crescit:
 Flos Dodonæi Constantinopolitanus:
 Purpurei floris Xiphion cubitale, recuruum
 Aequiparans gladium, segetes conspectius inter:
 Itala Fraasinella: rosea Campanula cultu:
 Phu minimum: Cyani plures, spectabilis vnus
 Floribus Oebalijs, contra candentibus alter;
 Maior item, quo sæpe suas Galatæa coronas
 Rustica distinxit: fædi promissior Hirci
 Barbula, flore foci cinerem referente: Papauer*

B

Non

At

Non unum: Species Crispi & Multiplicis, ista
 Puniceum ostentans florem; Similem illa colorem;
 Tertia canentis cineris; Ceratitidis & inde
 Quarta, croci: Calamintha locis Montana iugosis:
 Regia Consolida, ista rubet flore, albicat illa:
 Buglossum Hispanum: siliquis quadrangula, flore
 Sanguineo Lotos: Melilotos & Itala: caulis
 Cretai Gerani: Lunaria: Ageraton: albo,
 Purpureoq;, Aquileia duplex, Plenissima flore:
 Tergemina Bellis qua Magna: Triphyllon Odorum:
 Brumales Viola, roseo haec, crocino illa colore:
 Sylvestris Ruscus: Flauens Antirrhinon: herba,
 Nomen ab Imperij cui maiestate verenda
 Ducitur: Aegypti lignosa Cicercula: Rubra
 Pisa: Cuculligerum Rhabarbara: Iasmina, flore
 Altera candidulo, croceo altera: Ruta Caprarum:
 Et Chalcedonijs minio fulgentia terris,
 Lilia, clauderant tanquam Colophonia, mensera.
 Dixerat: Harentem fari, seu forte pudore,
 Sine metu, fraudem vel pratexente labello,
 Qua nostrum dixisset, ait (qua pone sedebat)
 Terpsichore, grauiore sono te bella professam,
 Blandorum potuisse capi dulcedine florum,
 Totq; volubilibus numerare vocabula verbis?
 Me quoniam nunc ordo vocat, narrabo sequentis
 Mensis opes, vobis iam pleraq; nomina dicta,
 Diuersa tum forte mihi obseruata figura,
 Nec dubijs signata notis. Antirrhinon albo
 Flore: Cnicus croceus, seu Cartama: Ephemeron (Iris
 Sylvestris) Turcum: Veronica femina, prorsus

s.
 Iulius.

Viribus

Viribus insignita suis, & idonea factis
 Vulneribus: Maius Solanum, ignescente colore,
 Bella alias Donna: Arboreum Solanum: arboris instar,
 Granaferens ricini, Ricinus: Barba amula Capri,
 Lutea flore suo: rutila Chrysanthemon herba
 Italicum, buphtalmum oculi a splendore vocatum:
 Caliharum specie e variante Calendula, pleno,
 Et contra rubro Polyanthos flore: Tabacum
 Maius: Odoratum Tanacetum: Eringia vera:
 Luxurians folio Sclaraa: Nigella: Napellus
 Cauliculo fragili, quo non praesentius vllum
 Certam homini subito mortem conferre, venenum:
 Non illo melior, folij qui cingitur umbra
 Dirus Hyoscyamus spaciante: Papauer abundans
 Flore, aliquot generum, Tyrio, roseoq;, rubroq;
 Ac candente, aliud Simplex Tyrioq;, rubroq;
 Flos Minor & Multiflorus cognominis Afri;
 Rursus item Maior, qui Simplice flore: Lupini
 Cerulei: candore niuem victura cadentem
 Lilia: Consolida, Regalis Plenaq;, flore
 Sidonio illa, haec caruleo, & Multiplicis albo:
 Faniculum Romanorum, serpentibus auro
 Vitale confectis: Campanula, carula & alba:
 Ocima triste oculis: Peregrina Alcaa, nitentis
 Flore rosa, radice alba, cognat aq; malua
 Sylvestri: Gerani Muscatum: rustica nardus,
 Phu Minus: Ascras veteri celebrata poeta
 Carmine, Malua triplex, Maior; roseoq; colore
 Multiflora; & Crispa: Blitum, radicibus Indum
 Sanguineis: Tlasi Cretaeum: Crassula: Sorgum:

B 2

Viti-

Viticulis longis spectanda Momordica: multum
Pontica Peligno gustata Absinthia Vati:
Vile Petroselinum Macedum: Nasturtia vultus
Qua morsu Romana trahunt: Amaranthus, amata
Virginibus tricolor, texturis ferta: Solatrum,
Alkekengi Arabum: Borrage, flosculus albus
Quam decorat: Semperuiuum: Campana bibenti
Enula grata, Helenes lasum testata pudorem:
Guaiacana: Melissa albo, qua Turcica, flore:
Luteolo contra, Digitalis: & Aurea Virga
Caule rubescenti, folijsq; precantis oliua:
Atq; Papas Hispanorum: capitisq; rotundi
Carduus: & qua praestat Arum folio ima minore
Herbula, carminibus nec digna, nec apta ligandis,
Spectanti arrisere adeo, ut reclusis in herba
Inde mihi texto vincirer tempora ferto.

6.
Augusto.

Non ego tot fatuus AVGVSTI mensis habeo,
Blanda refert Erato: Florum cum carmine sensim
Decrescet series, & tempore. Prima vivebat
Althea hic, non illa furens Meleagria mater,
Sed Medicus qui iure frutex dicendus, lisci
Idem etiam, & Mala Sylvestris nomine notus:
Stabat eum iuxta Phalaris, non vilius usus,
Ominis infausi, flos neglectissimus hortis:
Tum crescens Antora quidem vicina Napello,
At potior longè, & validis inimica venenis,
Multiplicis cui floris honos in caule rotundo,
Purpureusq;: simul Botrys, qua lutea tota
Semine conferto, valles & flumina circa,
Naribus inprimis iucundum spirat odorem,

Stirps

Stirps pariter Tatula, specie referentis Echinum
Hirsuta, cui flos in vertice longus & albus,
Campanae similis: Miraguiliosa, remota
Surculus Hesperiae, multis qui dicitur Indum
Iasminon, Oebalio flore una, comesq; vicissim
Alter a luteolo: tenera quin Foemina Virga,
Nomen odorato cui distillantia ligno
Balsama donarunt: nec non ignota Moluca,
Quae Byzantine species formosa Melissa:
Insuper & Scolymus, qui Carduus Attilis idem,
Ac Cynari cognomen habet: folio inde patente
Mira Molongena, his terris incognita prorsus
Herba, pyri longi instar habens fructum, ille coloris
Castanei: Spinosum etiam Solanum: atq; Corona
Regia, flos Solis: Tum Maiorana perennis,
Frigoris ignavi patiens, illa saq; brumae:
Quasq; creat plures Hetruria culta, Genista,
Summa viatoris solatia, fteribus auri;
Vnde struendorum per cerea regna fauorum,
Pura Maronei suxerunt mella Quirites,
Lumina nostra sui complectebantur amore.

Me quoq; rarefcens SEPTEMBRI copia florum
Pascebat, non multa morans Polyhymnia, dixit.
Nerion apricus, aliàs Rhododendron, in hortis,
Et lauri facie & roseo spectabile flore,
Pubescebat. Api dilecta Melissa, coloris
Turcica carulei, seu Cretica, mellis odorem
Fundebat. Nitidum Lycopersion, illud Amoris
Poma vocant multi, tenera turgebat in herba.
Notum Auicenna etiam flauebat Abutilon, agri

B 3

Credita

7.
Septem-
ber.

*Credita maluarum una alijs, Althaa quibusdam
Altera, Ibisus item: Dein Sabdariffa virebat,
Germen ab Orbe nouo delatum. Asininus, & idem
Anguinus Cucumer, turgebat ventre. Tenella
Radicis, Cepaa, suo cognomine Pantii,
In trifidam à modico surgebat stipite virgam,
Cor Indum, medicis qua Vesicaria fertur,
Vesicam specie referebat. Et Indica tandem
Canna, vetustati bibulam factura papyrus,
Ac Pani Syringa, leues nutabat ad auras.*

8.
Octo-
ber.

*Frangie postrema, parum quam gaudeo florum
OCTOBERI mihi mense datum, quod proloquar, anie
Vix aliquid vobis pratermittentibus, inquit,
Non tritum, nec vile tamen. Buphtalmon ab imo
In tria consurgens & mollia brachia, flore
Luteolo, folioque, (senes quod recreat angues)
Fœniculi, contractum oculi radiantis in orbes,
Vnde sibi Graio nomen sermone parauit,
Tollebat capita alta: duplex hinc Colchicon, albo
Flore, & ceruleo, nonnullis bulbis agrestis,
Medea manibus temeratum saepe cruentis,
Candebat. Chamomilla rubens, siue Anthemis illa,
Fronde dodrantali, fruticosa, alisque cauata,
Et folio gracili, multo tamen, atque rotundis
Folliculis albebat. Et usus Scilla frequentis,
Cepa marina, Crocusque, velut suprema Coronis,
Aspera clauderant Autumni tempora sine.*

*Tunc iterans, Vicistis id, clamore, Sorores,
Calliope, Vicistis, ait: Sibi debita palma
Ipsa legat quauis, captat qua pramia, flores,*

Orna-

*Ornamenta suo capiti victricia. Paulum
Expectare libet contra omnibus, oris & uno
Consensu, ne lenta nihil fecisse putetur,
Poscere Reginam, bibulas quid dicet ad aures.*

*Quandoquidem ergo ita vultis, ea interfata, faceffam
Inquit, & orsa simul: Vobis farragine florum
Dulce fuit gaudere, mihi sit dulce, loquendo
Præteritas, Horti huius opes lustrare, nouasque
Delicias, ac si quid inest, quod lumina pascat.
Hec equidem (spectate precor) qua sedimus, aure
Ex omni qua parte patet, splendoris abundans
Pergula, quam variè, quam fabrè, cetera præter,
Ridet imaginibus. Lucretia sola, tyranni
Passa stuprum, iam iamque sua auersura coactum
Morte nefas, lacrymatur; opus memorabile LVCAE
Illius, artificem fouit quem LEVCO RIS olim,
Nam messes mirata suas, quibus horrea largis
Distendit, plenumque, gerens frugum ubere Cornu,
Alma Ceres qui fletet? Anus qui fletet, amantem
Inducens precio iuuenem, nisi lusa & Puellam
Lacteolam multo ære Senex delirus inescans,
Qui fletet? Qui fletet, humi valido ense rotatum
Prouoluens hostile caput fortissima victrix,
Iuditha? Qui fletet vernas proietta per herbas
Virgo, sibi, capitine parans florentia charo
Vincula? Nec quenquam reor huc concedere fletum.
Laticia certè video argumenta, tot artis
Instrumenta, animos tristes recreantia, vestra,
Barbita, pleetra, lyras, Aloè quam desuper audax
Impendet mensa? Quoties hic Hospes amicos*

Non

Non tam epulis, alienigenas quoque sæpe vocatos,
 Quam verbis mulcere solet: Datur ampla loquendi
 Materies, rerum natura, & quicquid in illam
 Fortè cadit: Mirusque Dei labor, omnia pigro
 Per brumam sopita gelu, instaurantis honore
 Purpureo. Cum victa famas, mensaque remota,
 Sargitur, atque alijs florum dulcedine grata
 Pastum oculos, alijs lusum non longius itur.
 Porticus illa satis, quo sese quisque volentem
 Deliciarum, oblectet, habet: Seu figere metam
 Aemulus, in centum longè quæ tenditur vlnas,
 Arboris extremo cohibendus margine Discis,
 Seu talos versare manu, seu forsan utringue,
 Tinnula ridiculi vitans crepitacula Stulti,
 Iniektare globos numeris maioribus optet:
 Aut paries longo quas exhibet ordine plures
 Pictus, imaginibus gaudere. Videbit amictu
 Hic populos plerosque suo. Stat Gallus, & vxor,
 Ipsa stola, cultu ille breui. Stat veste Senator
 Italus & matrona, pedes feriente. Stat idem
 Cum Gallo Burgundus. Amans comitatur amantem
 Ponè Neapolitanus. Atrox stat Turca. Stat aurum
 Indutus, tectusque, caput radiante Galero,
 Dux ingens Venetum, magna cum Coniuge. Iuxta
 Troia Centaurus remis expectat iturum,
 Ut dominis Venetis, arrha de more quotannis
 Fluctibus iniektà, famulum despondeat equor.
 Inde Ratis, mercatorem quæ portet ad Indos.
 Ponè Scythas armis oppugnatura, Triremis.
 Quique, locupletes vectat per stagna, phaselus.

Hinc

Hinc varia icones auium simul atque ferarum:
 Psittacus Eois, Grus Indis, notior oris
 Aegypti Pelicanus auis, Struthioque, camelus:
 Lynx, Elephas, Histrix, Ursus, Leo, Simia, Tygris:
 Balena enormes, quique, Adria pisce natatur:
 Quasque, creat solas Aegyptus & India, planta,
 Cassia, mandragoras, faba, palma, cucurbita, musa,
 Capparis hamatis spinis, sena, ficus, arumque:
 Ac demum auritas inter, mihi filius, Orpheus,
 Eurydices sua fata querens, volucresque, ferasque.
 Subter eam est quæ Cella fouens Exotica seruat
 Per brumam, missa orbe alio. Hoc fert aurea mala,
 Punica fert illud, ficus id, laurea baccas,
 Pistaciusque, nuces. Tecti sub culmine Turca,
 Quæ rident quandoque, gemunt quandoque, columba.
 Quam dulces per colla modos & carmina, doctæ
 Dent illic, auditis, aues. Multiplice clausas
 Pyramides compage tenent, quadrangula prima,
 Partibus è cunctis operit quam dulcis Amara:
 Illa Perictymeno duplici circum undique, septa.
 Nec minus oblectat spectantem FISTULA, stantis
 Quæ fluidas ex ore Viri atque, ex arbore trunca,
 In peluim eiaculatur aquas, de fonte propinquo
 Elicitas, & subter humum, quadam arte latentem
 Mille foraminibus per ductum rursus ituras
 In vannum fundo vacuam, sed arundine plenam.
 Et cui non intentum oculum mentemque, fatigent,
 Quæ prope Musæum clausa conduntur in arca,
 Cereæ facta duo digitis OSCILLA magistris?
 Hoc blanda Veneris, natique, Cupidinis: illud

C

Magda-

Magalidos, sese peccasse fatentis, & aeta
Tempora, furtiuumq; diu damnantis amorem.
Viuere iuraretis eam, verosq; lacertis
Edere plangores, ac deformare capillos:
Id Veneta potuere manus. Iucundaq; visu
PERSPECTIVA, viri celebris, mediciq; IOHANNIS
MVS ELII donum, cui non placet? Horret ibidem
Ingressus temerè, S I S M V N D I fictile munus
VVOYSELII, Physici, POLYPHEMVM mole iacentem
Terribili. Vidi ipsa, retrò, velut angue repente
Vepribus exiliente, pedem exanimatus ut inde
Reprimeret, risumq; mihi quidam ante moueret:
Ac pulsasset humum collapsus corpore, praesto
Ni qua circumstant, ut maturescere possint
Assiduo sub Sole, Exotica plurima, moxq;
E cella Bacchi humor, & assa columba, fuissent:
Ac nisi FONNS, cui Iuniperus procerior astat,
Quàm qua visa mihi est: & cui duo saxea Labra,
Frigentes qua semper aquas, id piscibus, istud
Potibus excipiunt, feruente Aestate, gelandis,
Torpentes artus fouisset alentibus vndis.


Pracipue placet ordo mihi quadrangulus Horti.
Prima coronarum faciles pars educat herbas.
Arboribus varijs viret altera: Carpere poma,
Et pyra, cum prunis licet hic diuersa: Dat illic
Morus, adhuc Thisbes insignis amoribus, umbram.
Persicus hirta comam, & cerasus diffunditur istic,
Mespilus, ac corylus, prunusq;, Cydonia malus,
Quamq; creat longis procul hinc Armenia terris.
Non alibi assurgit buxus, non crispa Sabina,

Berberis

Berberis, & Ceanothus ibi mordacibus horrent
Sentibus, ac tenero latet abdit a gramine tellus.
Tertia pracipuis statio distinguitur herbis,
Belgarum Ausoniùmq; modo. Suprema ROS Etum est,
Quod LABYRINTHOS flexus errore viarum,
Ac prope Veronam nascenti flore, coloris
Luteoli, designat. Fas propagine Vitis
Quadruplici interstinguit, ut & qua proxima circum,
Alligat, atq; hederas, alba cum Vite, maritat:
Datq; aliquod spacium, quo multa Cucurbita mollem
Explicit umbellam Inda, teres, longa, atq; rotunda,
Et minor & maior, viridante alboq; colore.

Ista peroranti, Chorus assurrexit; itumq; est
Plena voluptatis per singula. Florida cunctas
Prada iuuat: Legit hac calthas; legit illa papauer;
Huic Libanotis amor, Cui herens amaracus ipsi;
Quandam ruta tenet; quandam non tacta morantur
Lilia; Aristolochia sinus grauat illius; ungue
Subsecat hac meliloton; amat Regina cuminum:
Quam fusa circum reliqua, sua munera, flores,
Ad Domina proiecta pedes sine nomine, acervant
Certatim, nec digna sibi vult vlla videri,
Qua caput impediens alia val fronde, vel herba,
Quam crinali hederà cingatur: & vnus vna
Calliopes ornet victricis tempora laurus.
Hoc facto, atq; Horti Domino bona cuncta precat,
Ingenium dant mite solo, dant largius vber
Floribus, aspirantq; nouum decus: Inde vocata
Mercurio, in sacrum redeunt Heliconæ Sorores.


FINIS.




Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.




1111





112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200



in
porium
Laur.
Scholtz
1594